

avide cupiam illustrissimi abbatis jussis obtemperare, A et clar. doctissimique Temleri voluntati pro ejus dignitate satisfacere. Tu vero, vir humanissime, optime scis facultatem mihi, non voluntatem deesse ad efficienda omnia quæ tibi grata atque jucunda fore existimare queam. Vale atque ama mc. Olivæ xi Kalendaras Decembres, anno 1763.

CANDIDUS  
DE IMAGINE DEI <sup>a</sup>.

*Ex codice ms. Salisburgensi sæc. ix.*

Juste mihi videtur dictum, interiorem hominem imaginem esse Dei. Anima enim nominatur totus interior homo, qua vivificatur, regitur, continetur lutea illa massa humectata succis, ne arefacta dissolvatur. Deus dicitur vis illa ineffabiliter magna et innumerabiliter sapiens, et incomparabiliter suavis, ex qua et per quam et qua sunt omnia quæ sunt, reguntur omnia quæ sunt, continentur omnia quæ sunt. <sup>B</sup> Omnia dico ipsam universitatem, quæ est totum, quod aliud est quam ipse qui fecit et non est factus. Sed ipse est, ex quo, et qui ex eo, et quo quod. Ipse Deus ex quo est, Pater dicitur a nobis pauperibus sensu, pauperioribus verbis. Quod qui ex eo Filius dicitur. Quod quo Spiritus sanctus. Ideo autem dicitur Deus Pater, quia ipse est, ex quo et sapientia est qua ordinantur omnia, et dilectio qua se volunt omnia ita manere ut ordinata sunt. Ex quo ego et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt, et illa tria i. l. eo unum, quia sic sunt ex uno illa duo, ut tamen ab ipso non sint separata, et ipsum ipsa quod ipse, et ipsum ipse quod ipsa, et non ipsa, ipsa qui ipse, et non ipsa ipse quæ ipsa. Vis ista Deus est, et ipse Deus tria est, et unumquodque horum trium (trium <sup>b</sup>) Deus est, et omnia tria illa non dii, sed Deus est.

Ad imaginem ergo suam conditor fecit animam hominis, quam animam, cum [*Fortè*, etiam] mentem dico; sed propter aliud animam et propter aliud mentem. Nam totum, quod vivit hominis anima est. Cum autem anima in se agit, se et ex se et per se sola mens dici solet; sensus vero ad sua ministeria implens consuetius anima dicitur. Mens ergo scire gignit, et amat scire quod scit. Non illud scire dico, quod repente scitur res aliqua, quæ ante nesciri patatur. Sed illud, unde et aliquid et omne quiddid scitur vel nescitur sciri potest. Illud ergo scire mens gignit; et cum genitum est, scientia potest dici. Sunt ergo jam duo, mens et quod ipsa mens scit. Restat tertium utrisque commune. Omnis mens, quiddid scit, amat scire. Amor non minus, quam inter duos est, amantem, et quod amatur. Unus ergo amborum amor, qui et tertius est. Non autem potest hoc negari, hoc totum unam esse animam, et unam animam hæc tria esse. Sicut enim hæc tria vere una anima sunt; sic non minus vere una anima est hoc unum, et hoc alterum, et hoc tertium. Comparet igitur se hæc creatura tam eminens Creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc, et multum supra se amoto, quod omnis bonitas, et omne bonum et omnis bonitatis et boni dulcedo creatori a se ipso est; creaturæ vero non solum quod est, sed etiam quod talis est, ab alio est, non a se. Et ipse quod est, semper est. Licet et ipsa anima quodam modo suo incommutabilis est. Nam semper anima est, et scit, et scire vult. Comparet ergo, ut dixi, se anima eo modo, quo potest, Creatori suo. Dicatur mens pater, quia gignit scire. Dicatur scire filius, quia ex alio est, et non est aliud, quam ipsum quod ipse est, ex quo est. Dicatur amor Spiritus sanctus, quia amborum est eorum, qui se amant. Unde in nostris Scripturis sapius amor, id est, charitas, quæ in Deo est erga nos, et quæ a nobis est in Deum, spiritus ipse appellatur.

<sup>a</sup> Vide supra Montum Appendicibus præfixum, C <sup>b</sup> Superfluum abs dubio.  
col. 1313.

## 597 APPENDIX TERTIA.

### HISTORICA.

#### NOTITIA ECCLESiarUM URBIS ROMÆ.

*Ex ms. Salisburgensi.*

Primum in urbe Roma beatorum martyrum corpora Joannis et Pauli tamen quiescunt in basilica magna et valde formosa. Deinde intrabis per urbem ad aquilonem, donec pervenies ad portam Flamineam, ubi sanctus Valentinus martyr quiescit via Flaminea in basilica magna, quam Honorius reparavit; et alii martyres in aquilone plaga sub terra. Deinde vadis ad orientem, donec venias ad ecclesiam Joannis martyris (*Cod.*, ecclesia Johanni martir.) via Salinaria, ibi requiescit Diogenus martyr, et in altero cubiculo Bonifacianus, et Sistus martyr sub terra; sub terra Blastus martyr. Deinde Joannes martyr. Postea Longuinus martyr. Deinde vadis ad australem via Salinaria, donec venies ad sanctum Ermetem. Ibi primum pausat Basilissa virgo et martyr; in altera et martyr Maximus et sanctus Ermes martyr longe sub terra; et in altera spelunca Protus martyr et Jacintus, deinde Victor martyr. Postea eadem via pervenies ad sanctum Pampulum martyrem xxiv gradibus sub terra. Deinde venies ad sanctam Felicitatem altera via, quæ similiter Salaria dicitur, ibi illa pausat in ecclesia sursum, et Bonifacius papa et martyr in altero loco, et filii ejus

sub terra deorsum. Deinde eadem via pervenies ad ecclesiam sancti Saturni papæ et martyris; in altera ecclesia Daria virgo et mart. pausat et Crisanti mart. Postea pervenies eadem via ad speluncam, ubi sancta Hilaria mart. Deinde eadem via ad sanctum Alexandrum mart. Ibi pausant Theodulus et Evertus, et longe in interiore spelunca Alexander mart. requiescit. Postea ascendens eadem via ad sancti Silvestri ecclesiam; ibi multitudo sanctorum pausat. Primum Silvester sanctus papa et confessor, et ad pedes ejus sanctus Syricus papa, et in dextera parte Celestinus papa, et Marcellus episcopus; Philippus et Felix mart. et multitudo sanctorum sub aliâ majore; et in spelunca Crescentius mart. et in altera sancta Prisca mart. et Fimitis pausat in cubiculo, quando exeat; et in altera sancta Potenciana mart. et Praxidis. Et postea vadis ad orientem, quousque pervenies ad sanctam Emerentianam mart. quæ pausat in ecclesia sursum, et duo martyres in spelunca deorsum Victor et Alexander. Deinde via Numantina ad ecclesiam sanctæ Agnæ, quæ formosa est, in qua sola pausat, et ipsam episcopus Honorius mire opere reparavit.

Postea illam viam dimittis et pervenies ad sanctum Ypolytum mart. qui requiescit sub terra in cubiculo; et Concordia mulier ejus mart. ante fores. Altero cubiculo sancta Triphonia regina et mart.

et Cyrilla filia ejus et mart., quas Medius [Leg. A Messius] Decius interfecit, uxorem et filiam; et sanctus Genisius martyr. Postea pervenies ad ecclesiam sancti Laurentii, ibi sunt magnæ basilicæ duæ in . . . . et pausat. Et est parvum cubiculum extra ecclesiam in hoc occidentur [Ita cod. mendose; forte, in occidente]; ibi pausat sanctus Habundius et Herenius mart. Via Tiburtina, et ibi est ille lapis, quem tollent digito multi homines, nescientes quid faciunt; et in altera ecclesia sursum multi martyres pausant; prima est Cyriaca sancta vidua et mart., et in altero loco sanctus Justinus, et juxta eum sanctus Crescentius mart. et multitudo sanctorum. Longe in spelunca deorsum sanctus Romanus martyr. Postea ascendes ad ecclesiam sancti Agapiti mart. et diaconi sancti Syxti papæ. Ad Helena via Campania multi martyres pausant; in aquilone parte ecclesiæ Helenæ primus Tiburtius mart. Postea intrabis in speluncam; ibi pausant sancti martyres Petrus presb. et Marcellinus mart. Postea in interiore antro Gorgonius mart. et multi alii. Et in uno loco in interiore spelunca xl. martyres, et in altero xxx martyres; et in tertio iv Coronatos et sancta Helena in sua rotunda. Deinde pervenies ad sanctum Gordianum mart. cujus corpus requiescit sub altare magno in ecclesia sancti Epimachi, et Quintus, et Quartus martyres juxta ecclesiæ in cubiculo pausant, et longe in antro Trofimius mart. Deinde pervenies eadem via ad speluncam; hic requiescit eadem via sancta Eugenia virgo et mart. in cubiculo ecclesiæ pausat, et in altero loco Emissus mart. Postea pervenies via Appia ad sanctum Sebastianum mart. cujus corpus jacet in inferiore loco, et ibi sunt sepulcra apostolorum Petri et Pauli, in quibus xl. annorum requiescebant; et in occidentali parte ecclesiæ per gradus descendis [Ma., descendis, ita semper], ubi sanctus Cyrinus papa et mart. pausat, et eadem via ad aquilonem ad sanctos martyres Tyburtium et Valerianum et Maximum; ibi intrabis in speluncam magnam, et ibi invenies sanctum Urbanum episcopum et confessorum, et in altero loco Felicissimum et Agapitum mart. et diaconum Sixti. Et in tertio loco Cyrinum mart. Et in quarto Januarium mart. Et in tertia ecclesia rursum sanctus Synon martyr quiescit. Eadem via ad sanctam Ceciliam, ibi innumerabilis multitudo martyrum. Primus Syxtus papa et mart. Dionisius papa et mart. Julianus papa et mart. Flavianus mart. Sancta Cecilia virgo et mart. lxxx martyres ibi requiescunt deorsum. Celerinus papa et confessor sursum quiescit. Eusebius papa et mart. longe in antro requiescit. Cornelius papa et mart. longe in antro altero requiescit. Postea pervenies ad sanctam virginem Soterem et mart. Eadem via venis ad ecclesiam parvam, ubi decollatus est sanctus Xistus cum diaconibus suis, cujus corpus jacet ad aquilonem; et dimittas viam Appiam et pervenies ad sanctum Marcum papam et mart. Postea ad sanctum Damasum papam et mart. via Ardiatina, et ibi in altera ecclesia invenies duos diacones et mart. Marcum et Marcellianum fratres germanos, cujus corpus quiescit sursum sub magno altare. Deinde descendis per gradus ad sanctos mart. Nereum et **598** Achilcum, et sic vadis ad occidentem, et invenies sanctum Felicem episcopum et mart., et descendis per gradus ad corpus ejus, et sic vadis ad sanctum Paulum via Ostensi, et in australi parte cerne ecclesiam sanctæ Teclæ supra montem positam, in qua corpus ejus quiescit in spelunca in aquilone parte. In occidentali parte Tiberi ecclesia est beati Felicis mart. in qua corpus ejus quiescit; et Alexandri mart. et sanctæ Sabinæ mart. Deinde etiam in aquilone parte ecclesiæ sancti Pauli pariet ecclesia sancti Aristi et sanctæ Cristinæ et sanctæ Victoræ ubi ipsi pausant. Deinde descendis ad aquilonem et invenies ecclesiam sanctæ Candidæ virginis et mart. cujus corpus ibi quiescit. Descendis in antrum et invenies ibi innumerabilem multitudinem martyrum. Punicus mart. ibi quiescit, et Milix

mart. in altero loco, et omnis illa spelunca impleta est ossibus martyrum. Tunc ascendis et pervenies ad sanctum Anastasium papam et mart. et in alio Polion mart. quiescit. Deinde intrabis in ecclesiam magnam, ibi sancti martyres Abdo et Sennes quiescunt. Deinde exeat et intrabis, ubi sanctus Innocentius papa et mart. quiescit. Deinde ambulas ad sanctum Pancratium, cujus corpus quiescit in formosa ecclesia via Aurelia, quam sanctus Honorius papa magna ex parte ædificavit, et in illa ecclesia intrabis longe sub terra, et invenies Ardhimium mart. et in altero loco sanctum Paulinum mart. et in altero antro sanctam Sobiam mart., et dææ filie ejus Agapite et Pistis mart. Et ascendis sursum et pervenies ad ecclesiam; ibi quiescunt sanctus Processus et Martianus sub terra, et sancta Lucina virgo et mart. in insuperiori: deinde pervenies eadem via ad sanctos pontifices et mart. duos Felices. Postea eadem via pervenies ad ecclesiam, ibi invenies sanctum Calistum papam et mart. et in altero in insuperiori domo sanctus Julius papa et mart. Et sic intrabis via Vaticana, donec pervenies ad basilicam beati Petri, quam Constantinus imperator totius orbis condidit, eminentem super omnes ecclesias et formosam, in cujus occidentali plaga beatum corpus ejus quiescit.

Est et in alio loco juxta Mediolanensem urbem Concon [Forte, contra] orientalem plagam foris civitatem, ibi est ecclesia sancti Ambrosii episcopi et confessoris, et sancti martyres Gerhasius et Protasius, et sanctus Victor mart. Et in altera ecclesia sanctus Maforius et Felix mart. Et ibi in uno angulo sanctus Simplicianus confessor; et in una ecclesia in dextera parte ibi pausat Baleria mater sanctorum Gerhasi et Protasi; sanctus Dionius mart., sanctus Aurelius mart. sanctus Nazarius mart. in sua pausat Ecclesia. Et in uno angulo sanctus Morimonianus confessor, et in altera ecclesia sanctus Celsus mart. et sanctus Maternus episcopus et confessor. Sanctus Storius confessor, et sanctus Magnus confessor, et sancta Eugenia conf.

Pro intrante in porticum sancti [Cod., sanctæ] Andreæ occurrit tibi in sinistra manu altare sancti Laurenti; deinde sancti Viti; deinde sancti Cassiani; deinde ipsius Andreæ in medio rotundæ, et sic sancti Thomæ, et sic sancti Apollinaris; novissime sancti Syxti. Egrediente vero accipiet sanctus te Martinus, et deducet ad sanctam Petronellam; ibi te primo accipiet Salvator mundi, assignatque sanctæ Anastasiæ, et illa sanctissime Genetrici Dei, quæ te commendat sanctæ Petronellæ, ut te deducat ad filium suum Salvatorem mundi qui te per beatum Theodorum mittit ad sanctum Michaellem archangelum, ut ejus suffragatio iterum ad sanctissimam suam Genetricem deducaris, ut illa te reddat xii apostolis, qui per beatum Petrum principem apostolorum iterum mittunt ad sanctam Mariam, ex cujus latere sinistro te Leo papa accipiet, redditque iterum eidem Genetrici Dei, cujus auxilio tandem pervenies per cryptam ad caput beati Petri principis apostolorum, et exinde pervenies ad altare majus, ejusque conf. [Forte, confessionem], et exinde post fusas penitentia lacrimas vadis ad locum ubi idem beatissimus apostolus apparuit cuidam mansionario suo; tum ad ejusdem quoque sancti apostoli altare, quod nomine Pastoris nominatur, ubi ferunt lapsum mansionarium per beatum Petrum apostolum a ruina esse defensum; tum etiam tibi pergendum est ad porticum, ubi vivificæ crucis vexillum servatur; teque ad fontem ingrediente altare est in muro beati Georgii martyris; tum ad sanctum Joannem evangelistam, eoque salutato pervenies ad sanctum Joannem Baptistam, eoque ducente curre ad præsepe sanctæ Mariæ, eoque osculato perge ad porticum Petronellæ, gaudensque ascende ad Gregorii lectur [Ita cod.] Patris sancti, in quo spiritum reddidit Deo datori dignum munus. Et ibi habes altaria xi. Indeque

descende atque festina ad horationem [*Leg.*, orationem] sanctæ Mariæ, quæ Antiqua dicitur. Deinde ad lapides purpureos, qui in medio pavimento acent, et in modum crucis positi sunt; et exinde ad corpus sancti Patris Gregorii eundem est, et ex eo loco ad sanctam Mariam, quæ Nova dicitur.

*De locis sanctis martyrum, quæ sunt foris civitatem Romæ.*

Primum Petrus in parte occidentali civitatis juxta viam Corneliam ad miliarium primum in corpore requiescit, et pontificalis ordo, excepto numero paucis, in eodem loco in tymbis [*Forte*, tumbis] propriis requiescit. Ibi quoque juxta eandem viam sedis [*Leg.*, sedes] est apostolorum, et mensa et recubitus eorum de marmore facta, usque odie [*Leg.*, hodie] apparet. Mensa quoque, modo altare, quam Petrus manibus suis fecit, ibidem est.

Juxta eandem quoque viam sancta Rufina, sancta Secunda, sancta Maria, sanctus Marius, sanctus Ambæus, sanctus Audifax, et alii quamplurimi sancti jacent.

Inde haud procul in sinistra manu juxta viam Aureliam sanctus Processus, sanctus Martianus, sanctus Pancratius [*Ita cod.*], sanctus Paulinus, sanctus Arthemius, sanctus Felix, sanctus Calistus, sanctus Calopus cum multis sepulti jacent.

Juxta viam vero Portuensem, quæ et ipsa in occidentali parte civitatis est, sanctus Abdon et sanctus Sennis, sanctusque Milex et sanctus Vincentius, sanctus Polion, sanctus Julius, sanctus Pymeon, sanctus Felix, **599** sanctus Symplicius, sanctus Faustinus, sanctus Beatrix [*Forte*, sancta Beatrix] dormiunt.

In parte hujus australi civitatis juxta viam Ostensem, Paulus apostolus corpore pausat; et Timotheus episcopus et martyr, de quo meminuit liber Silvestri, ibidem dormit; et ante frontem ejusdem basilicæ oratorium est Stefani martyris. Lapis ibi, quo lapidatus est Stefanus, super altare est positus.

Inde haud procul in meridiem monasterium est Aquæ Salviæ, ubi caput sancti Anastasi est, et locus ubi decolatus est Paulus. Prope quoque basilicæ Pauli ecclesia sanctæ Teclæ est, ubi ipsa corpore jacet; et non longe inde ecclesia sancti Felicis est, ubi ipse dormit, cum quo, quando ad cælum migravit, pariter properabat Adauctus, et ambo requiescunt in uno loco. Ibi quoque et Nemeseus martyr cum plurimis jacet.

Juxta viam Ardentinam ecclesia est sanctæ Petronellæ; ibi quoque sanctus Nereus et sanctus Achilleus sunt, et ipsa Petronella sepulta.

Et prope eandem viam sanctus Damasus papa depositus est, et soror ejus Martha; et in alia basilica non longe Marcus et Marcellianus sunt honorati; et adhuc in alia ecclesia alius Marcus cum Marcellino in honore habetur.

Juxta viam Appiam in orientali parte civitatis ecclesia est sanctæ Suteris martyris, ubi ipsa cum multis martyribus jacet; et juxta eandem viam ecclesia est sancti Sixti papæ, ubi ipse dormit. Ibi quoque et Cecilia virgo pausat; et ibi sanctus Tarsitius et sanctus Gelerinus in uno tumulo jacent; et ibi sanctus Eusebius, et sanctus Colocerus et sanctus Parthianus per se singuli jacent; et dcc martyres ibidem requiescunt.

Inde haud procul in cimiterio Calisti Cornelius et Ciprianus in ecclesia dormit; et in altera spelunca sanctus Calocerus diaconus.

Juxta eandem viam quoque Ecclesia est multorum sanctorum, id est, Januarii, qui fuit de vii filiis Felicitatis major natu, Urbani, Agapiti, Felicissimi, Ciriaci, Zenonis fratris Valentini, Tiburti, Valeriani et Maximi, et multi martyres ibi requiescunt.

Et juxta eandem viam ecclesia est sancti Sebastiani martyris. ubi ipse dormit, ubi sunt et sepultura apostolorum, in quibus xl. annis quieverunt. Ibi quoque et Cyrinus martyr est sepultus. Per eandem ve-

ro viam pervenitur ad Albanam civitatem, et per eandem civitatem ad ecclesiam sancti Senatoris, ubi et Perpetua jacet corporaliter, et innumeri sancti, et magna mirabilia ibidem geruntur.

Juxta viam vero Latinam ecclesia est sancti Gordiani, ubi ipse cum fratre Epimacho in una sepultura. Ibi quoque Quartus et Quintus. Ibi Sulpitius et Servilianus, et sancta Sofia et Trophimus cum multis martyribus sepulti dormiunt.

Et juxta eandem viam Tertuliani est basilica, ubi ipse cum multis martyribus jacet. Ecclesia quoque sanctæ Eugeniæ juxta eam viam est, ubi ipsa cum matre sua in uno tumulo jacet. Ibi sanctus Stefanus papa cum toto clero suo numero xxviii mart. dormit. Ibi sanctus Nemeseus, sanctus Olympius, sanctus Sympronius, sanctus Theodulus, sanctus Superius, sanctus Obloteris, sanctus Tiburtianus martyres sunt sepulti; et eadem via ecclesia est sancti Stephani protomart.

Juxta viam vero Lavicanam ecclesia est sanctæ Elenæ, ubi ipsa corpore jacet. Ibi sancti isti dormiunt: Petrus, Marcellinus, Tiburtius, sancti xxx milites, Gorgonius, Genuinus, Maximus, Quatuor Coronati, id est, Claudius, Nicostratus, Simpronianus, Castorius. Ibi et in cryptis sub terra innumera martyrum multitudo sepulta jacet. Simplicius.

Juxta viam vero Penestrinam [*Ita cod.*] juxta aqueductum ecclesia est sancti Stratonicæ episcopi et mart., et sancti Castoli, quorum corpora longe sub terra sunt sepulta.

Juxta viam Tiburtinam prope murum civitatis ecclesia est sancti Januarii episcopi et mart. Eadem quoque via ecclesia et sancti Agapiti, multum honorabilis martyrum corporibus.

Et prope eandem viam ecclesia est sancti Laurentii major, in qua corpus ejus primum fuerat tumulum; et ibi basilica nova miræ pulchritudinis, ubi ipse modo requiescit. Ibi quoque sub eodem altare Abundus est depositus, et foris in portico lapis est, qui aliquando in collo ejusdem Abundi pendeat, in puteum missi. Ibi Hereneus, Julianus, Primitivus, Tacteus, Nemeseus, Eugenius, Justi, Crescentianus, Romanus sunt sepulti, et sancta Cyriaca, sancta Simferosanus [*Ita cod.*], et Justina, cum multis martyres sunt.

Inde in Boream sursum in monte basilica sancti Hippolyti est, ubi ipse cum familia sua tota xix mart. jacet. Carcer ibi est, in qua fuit Laurentius. Ibi est Trifonia uxor Decii Cæsaris, et Cyrilla filia ejus; inter utrasque Concordia et sanctus Genesens et multi martyres ibi sunt.

Juxta viam Numentanam est sanctus Nichomedes, et juxta eandem viam basilica sanctæ Agnes miræ pulchritudinis, ubi ipsa corpore jacet. Propeque ibi soror ejus Emerentiana, in alia tamen basilica, dormit. Ibi quoque singulari ecclesia Constantia, Constantini filia, requiescit. Sanctus quoque Alexander, sanctus Felicis [*Ita cod.*], sancta Papia, sanctus Victor, et alii multi ibi dormiunt.

Juxta viam Salariam ecclesia est sanctæ Felicitatis, ubi ipsa jacet corpore; ibi et Sillanus filius ejus, unus de vii est sepultus, et Bonifatius papa cum multis sanctis ibi dormit.

Juxta eandem viam sanctus Saturninus papa, cum multis martyris [*Leg.*, martyribus] dormit. (In alia quoque ecclesia sanctus Chrisantus et Daria virgo et lxii mart.) Propeque ibi sanctus Alexander et sanctus Vitalis, sanctusque Martialis, qui sunt in de vii filiis Felicitatis, cum multis martyribus jacent. (Ibi in interiore spelunca sanctus Theodulus et Eventus. Ibi et septem virgines, id est, sancta Saturnina, et sancta Hilaria, sancta Dominanda, sancta Serotina, sancta Paulina, sancta Donata, sancta Rogantina requiescunt.)

Juxta eandem viam Salariam sanctus Silvester requiescit (ad pedes ejus sanctus Syricius papa) et alii quam plurimi, id est, sanctus Coelestinus papa,

sancta Potentiana, sancta Praxidis, sanctus Marcellus episcopus, sanctus Crescentianus, sanctus Maurus, sanctus Marcellinus, sancta Prisca, sancta Finitis, sanctus Paulus, sanctus Felicis unus de vii, sanctus Philippus unus de vii, sanctus Semetrius, et in una sepultura sub altare majore cccxv. Per eandem quoque venit viam ad ecclesiam sancti Michaelis, vii miliario ab Urbe.

**600** Inde haud procul in occidentem juxta viam eandem in cryptis sub terra lxxx gradibus sanctus Pamphilus et sanctus Candidus, sanctusque Cyrinus, cum multis martyribus jacent.

Et inde in occidentem tendentibus apparet basilica sancti Hermes, ubi ipse martyr jacet longe in terra. Ibi est sanctus Crispus et sanctus Herculanus, et sanctus Maximilianus, et sancta Basilissa.

In altera spelunca sanctus Jacintus et sanctus Protus (sanctus Victor) et sanctus Leopardus cum multis martyribus sepulti.

Inde non longe est in occidente ecclesia sancti Joannis mart. ubi caput ejus in alio loco sub altare ponitur; in alio corpus. Ibi sanctus Diogenis, et sanctus Sistus, et sanctus Liberatus, et sanctus Bastus, et sanctus Maurus, et sancta Longina mater Joannis sunt sepulti (et alii mille cccxii mart.).

Inde prope juxta viam Flamineam apparet ecclesia mirifice ornata S. Valentini martyris, ubi ipse corpore jacet, et multi sancti ibi sunt sepulti in aquilonali plaga.

*Istæ vero ecclesiæ intus Romæ habentur :*

Basilica Constantiniana, quæ et Salvatoris; ipsa quoque et sancti Joannis dicitur.

Basilica, quæ appellatur sancta Maria Major.

Basilica, quæ appellatur sancta Anastasia, ubi cruce servantur, quæ portantur per stationes.

Basilica, quæ appellatur sancta Maria Antiqua.

Basilica, quæ appellatur sancta Maria Rotunda.

Basilica, quæ appellatur sancta Maria trans Tiberis. Ibi est imago sanctæ Mariæ, quæ per se facta est.

Basilica, quæ appellatur Apostol. Jacobi et Philippi. Basilica, quæ appellatur Joannis et Pauli, ubi ipsi ambo in uno tumulo jacent.

Basilica, quæ appellatur Cosme et Damiani.

Basilica, quæ appellatur sancti Laurenti, ubi craticula ejusdem habetur Laurentii.

Basilica, quæ appellatur Vincula Petri, ubi habetur catena qua Petrus ligatus est.

Basilica, quæ appellatur sancta Adriana.

Basilica, quæ appellatur sancti Crisogoni.

Basilica, quæ appellatur sancti Georgi.

Basilica, quæ appellatur sancti Clementis.

Basilica, quæ appellatur sanctæ Agatæ.

Basilica, quæ appellatur sancti Stefani.

Basilica, quæ appellatur sancti Marci.

Basilica, quæ appellatur sancti Marcellini.

Basilica, sancti Michaelis Archangeli.

Basilica, sancti Bonifati mart., ubi ipse dormit.

In his omnibus basilicis per certa tempora publica statio geritur.

<sup>a</sup> In edit. titulus : *Alexandri Magni regis Macedonum et Dindimi regis Bragmanorum de philosophia per litteras collatio.*

<sup>b</sup> In Edit. : *Sed quia vestra excellens offertur industria, etc., ubi Bissicus legendum putat, fertur, et infra loco inducit, inducere. Sed omissio verbo offertur,*

## ALEXANDRI REGIS MAGNI MACEDONUM

ET

### DINDIMI BRAGMANORUM REGIS

PER LITTERAS PULGHERRIMA COLLATIO

INCIPIT <sup>a</sup>.

*Ex ms. Millestatensi et editione Palladis.*

Sepius ad aures meas fando pervenit, rationem vite vestræ a communione, qui ubicunque sunt [Edit., a communium, qui ubique sunt] hominum discrepare : nam nec terre, nec pelagi subsidiis vos uti, asserunt nuntiantes. Quæ res, novitate sui mirabilis, rumorum licentia videtur incredula : et recte consulere per has te, Dindyme, [litteras] properavi, ut si verum est quod audimus [Edit., audivimus], et [si] philosophandi causa hoc facitis, incunctanter expedias ; quo certior effectus, ego quoque, si fieri potest, disciplinæ sectator hujus existam. Semper enim virtutum studiis ab ineunte ætate operam dedi, traditaque mihi a sapientibus innocentia mandata non indiligenter, [ut arbitrator,] conservavi ; quibus tamen ita informamur ad bene vivendum, ut [bene] vivendi omnino causas et remedia non perdamus. Sed quia vestra excellens industria <sup>b</sup>, præter illas philosophicas philosophorum notas, usitatasque doctrinas cultum quandam observantiæ singularis inducit, queso, ut hanc nihil moratus aperias ; nam nec vobis ex hoc aliquid jacturæ proveniet : et nos aliquid fortasse commodi sortiemur. Libera enim res est communitas [Edit., est res communicari], et nesciens pati dispendium, cum in alterum participata transfunditur : sicut enim face una [Edit., sicut ex una lucerna], si luminaria plura accenderis [Edit., succenderis], nullum damnum principali materiæ generabis ; quia equidem facultatem accipis plus lucrandi, quociens causas accipis plus prestandi. Quapropter obsecro te, ut prebeas quesitis responsa.

#### <sup>c</sup> RESPONSIO DINDIMI REGIS.

Desiderantem te scire, Alexander, quæ sit [Edit., quid sit] perfecta sapientia, licet te non ignarum hujus profiteri velle collaudamus [Edit., licet hujus te non ignarum profiteri belle collaudem] ; quia quod solum est omni regno prestantius, id assequi maluisti : etenim imperator exors philosophiæ, non dominari solum creditur, sed servire plurimis [Edit., etenim imperator ex philosophia non dominari solum creditur, sed servire quamplurimis]. Verumtamen quæ [Edit., quod] forte leg., quoniam] satis mihi durum **601** et prope impossibile videtur, [nunc] te ad nostra instituta transduci, cum procul aliis, quam noster cultus exigit, disciplinis et moribus sis imbutus ; statueram [Edit., stat verum, mendose] tacere, teque veniam super his, que postulas dare [Edit., dari, omissio verbo seq. deprecari], deprecari ; maxime quia nec mihi ullum subpetit uber eloquii ; et tibi necessitatibus bellicis occupato parum temporis [Edit., parvum temporis] ad legendum datur. Sed ne invidiæ causa deserere me diceres, expedio [Edit., expediam], ut potero, quæ requiris. Nuntios enim [Fors. pro, autem] de nobis ad te dudum prolatos non immerito, famæ incredulus, respuisti ; nam solent [Edit., solet] gaudere figmentis. Nunc indubitanter percipere rerum fidem contentus, ad beate vivendum quales [Forte suppl., leges vel vox similis] habeamus, agnosce <sup>d</sup>. Sit sane tui iudicii, quæ proferemus, utrum sequenda censeas, an spernenda.

ut in ms., nulla alia opus est correctione.

<sup>c</sup> In edit. titulus : *Prima responsio Dindimi regis contra Alexandrum regem Magnum Macedonum.*

<sup>d</sup> In edit. : *Nunc tamen ex me indubitanter percipere rerum fide contentus ad beate vivendum, quales habeamur agnosces.*